

*Index Græcorum Nominum Propriorum  
quæ in Homerii Batrachomyomachia continentur.*

Ut non minimum studiosum juvenem lateret Homericu*m* argumentum, ipsa Murium et Ranarum nomina, quæ non sine magno judicio apposita, placuit hic cum ipsorum ethymologia et significatione referre ordine alphabeta*m*, duobus subjunctis numeris, quorum paginam primus, carmen secundus denotabit.

Artophagus.—Panem devorans.	Pternotrocta.—Pernam arrodens.
Artepibus.—Insidians pani.	Pternoglyphus.—Idem pene.
Borborocætes.—In coeno jacens.	Pternophagus.—Pernam devorans.
Calaminthus.—Jacens inter arundines.	Prasiphagus.—Porros comedens.
Crambophagus.—Caules devorans.	Prassœus.—Caulis colorema referens.
Crangasides.—Cauli similis.	Polyphonus.—Quasi multisonus.
Cnisiodoetes.—Nidorem sequens.	Physignatus.—Maxillas inflans.
Embassychitros.—In ollam irrepens.	Psicarpax.—Micarum raptor.
Hydrocharis.—Aqua gaudens.	Meridarpax.—Particulas rapiens.
Hydromedusa.—A quarum Regina.	Psitophagus.—Cibos absumens.
Hypsiboa.—Alte clamans.	Tyroglyphus.—Casel excavator.
Lychomile.—Lingens molam.	Troglodytes.—Foramen ingrediens.
Lychopinax.—Paropsides lambens.	Troxartes.—Panem arrodens.
Lymnisius.—Palustris.	
Pelusius.—Cœnosus.	
Pelobates.—Plutum incendens.	
Pilion, sive ut alii in editionibus legitur <i>Pelion</i> , ex quibus componatur non invenio; si autem in Homeru <i>m</i> legendum est <i>Pelion</i> , descendere potest ex Pelo montis nomine, ubi Murem natum Poeta fingat.	

LECTORI.

Hanc ipsam Homeri Batrachomyomachiam quinque libris amplificavit P. Jacobus Baldæus, nostræ Societatis. Eamdem autem eo loco quo Homeru*m* et nos desivimus, prosequutus est Guido Vanninius, Lucensis Civis, haud contemnendo quidem carmine, ut videri potest inter ejus opuscula, carm. libro 1<sup>o</sup>.

IN OBITU ADOLESCENTIS. EPICEDIUM.

Huc Thimbreae chelym seu te Patarca morantur,  
Seu facunda Claros, aut quæ circunflua ponto  
Te suscepit humus, dulcive cacumine Pindus  
Detinet, auritique sonant tua carmina montes.  
Huc age formosos conspectus lumine crines,  
Dejectosque imo fundens e pectore questus:  
Te qualem Ismariis crudelia funera Nati  
Defluisse ferunt campis, ac fulmina magni  
Obtrectasse Jovis, manesque vocasse gementem.  
Squalidus, incultusque veni, nec tempora cantus  
Munera florentes hederæ, nec laurea cingat;  
Laurigera pro fronde comas præcinge cupresso.  
In planetus revocare juvat, quæcumque per altum  
Concinuere lyra graciles Helicona sorores.  
Ipsæ adsint flores, ferrugineosque hyacinthos,  
Portantes calathis, ac muneribus funestis.  
Tu tamen ante alios niveos discissa capillos  
Numine Appollino melior Dea, funera tanta  
Advenias casto Pietas mœstissima vultu.  
Talia clamabam mœstus, noctesque diesque  
Ad cineres, Francisee, tuos, cum percutit altus  
Ecce aures sonitus, fallor, vel Diva per auras  
Ad tumulum e cœlo descendit, frigida quando  
Saxa revulsa jacent, niveoque in marmore Musis  
Associata sedet, tragicoque induta cothurno  
Melpomene exequias lugubri sic concinit ore:  
Heu, miserande, jaces! quis te, puer optime, Divum  
Abstulit? Heu, crudele nefas! Quis talia cernens  
Lumine persistat sicco? Næ ferreus ille.  
Scilicet hoc nobis etiam post aspera rerum

Fata manent? Proh! magna Deūm, atque injuria Parcæ.  
 Scilicet hoc teneræ nobis decor ille juventæ  
 Hoc oris roseum florente in corpore lumen?  
 Hoc oculis afflatus honos, hoc fervida monstrat  
 Ætas? O volucri quam mors vaga pervolat ala!  
 Os jam voce caret, cuius mihi dulcia possent  
 Verba dolente graves e pectore pellere curas.  
 Heu, quoties tenero dicentis ab ore pependi!  
 Dictaque proh quoties servavi in corde reposta!  
 Heu, miserande, jaces. Quis te, puer optime, Divūm  
 Abstulit? En grāvido torpent jam membra sopore?  
 Ferrea Nox oculis, aeterna silentia labris:  
 Pondera mortis habent aures; ac corpore monstrat  
 Horrendos toto regnans Mors pallida vultus.  
 Flos veluti, postquam duro contusus aratro est,  
 Quem coluit Lucina comes, coluere sorores,  
 Occidit ægrescens: picto ceu grandine prato  
 Lactea marmoreum demittunt lilia collum.  
 Nos tibi Castalii supremo e vertice montis  
 Frondibus insolitis doctæ redimicula frontis  
 Serta parabamus: Andino carmine posses  
 Altera dulcisono complere cacumina cantu;  
 E vacuoque jugo Phœbum superare canentem.  
 Jam lauro vates Philyraque, hederaque revincti  
 Fausto plaudebant cantu, pulsumque sonabat  
 Per montes, Francisce, tuum, et nemora ardua nomen.  
 Stamina, sed postquam scivit Libitina feroci  
 Forfice, spemque meam crudelis Parca fefellit,  
 Funereum intonsi montes, aurique cavernæ  
 Responsant silvis; tantum clangore querelas  
 In cœlum repetunt vates; atque aurea tristi  
 Sidera percutiunt gemitu; Parcamque cruentam,  
 Crudelesque Deos, atque impia fata vocantes.  
 Hos tibi nunc flores, nexusque e fronde corollas  
 Inferias tumulo cum carminibus supremis  
 Adportant. Eheu! Quis te, Francisce, Deorum  
 Invidus, ah, puerum nostro sic substulit orbi?  
 Sic cum prima genas vestibat flore juventa

(Infandum) moritur dignus quoque Nestoris ævo?  
 Talia Melpomene fatali affixa sepulchro  
 Irrita jactabat ventis; cum candida crines  
 Apparet Pietas, placida veneranda senecta.  
 Mox hæc: Quid vanis, frustra quid questibus auras  
 Imples? Flebilium jam, Virgo, desine vocum.  
 Tot lacrimas pueri, tot questus funera nolunt,  
 Sint breviora licet. Lumen Franciseus Olympi  
 Jam videt; exsuperant lætum nova gaudia pectus  
 Illic gemmato volitans super ardua curru  
 Oceanum, terræque plagas, ventumque recessus  
 Ortusque occasusque vagos, Lunæque labores,  
 Pleiadasque Hiadasque, et frigida plaustra Bootæ  
 Attonito similis pedibus supposta videbit.  
 Carpet odoriferos cœli per amena vireta,  
 Quos non ustus Arabs, nec fallax Græcia jactat,  
 Quos nec Hymettus alit, formoso pollice flores.  
 Tunc Dea marmoreis nova libans oscula saxis,  
 Sic loquitur verbis, ac fletibus interruptis.  
 Fortunate puer, si qua tibi pectora flamma  
 Ardescunt nostri; si quid mea carmina curæ  
 Sis memor, ante suis confusis legibus anni,  
 Tristis hyems flores, aestas tractavit olivas,  
 Quam taceat, Francisce, tuas mea fistula laudes.  
 Nunc tandem ingrato figam monumenta sepulchro,  
 Quæ manes, cineresque diu testentur amatos,  
 Marmoraque invisens tremulo legat ore viator:  
 Hoc tumulo juvenis lætho jam præoceo condor;  
 Quisquis adest, valeat, teneris nec fidat in annis.

HORTI DEDICATIO DIANÆ, AD IMITATIONEM  
 BARCLAI.

Alma parens nemorum, quæ nunc per Mænala cursum  
 Praecipitans, celeri præverteris aera gyro;  
 Seu pavidum ramis tollentem cornua cervum  
 Sors dedit, aut sociis læto clamore fatigas  
 Infrendingentem aprum, spectasve ad tesqua leonem;

Dulcis Io nemorum custos, si sacra dicatur  
 Silva tibi, Medique tepe tia thuris acerra,  
 Huc ades, et coeptis faveas pede, Delia, dextro.  
 Non indigna precor: tu castis annue votis.  
 Haec tibi silva viret, crescat tibi munere semper  
 Diva tuo: satyrum relega procul usque furentum  
 Faunorumque greges, procul absint arma Priapi:  
 Quandoquidem sanctum colitis sine labe pudorem.  
 Huc Dea, seu molli sociæ pede tegmina quærant,  
 Seu cupis ipsa, veni, clarii cum fervida fratris  
 Desuper acta polo flavas rota torret arenas.  
 Haec tua pinus erit, quæ sanguine culta recenti  
 Sit semper, semperque tuis veneranda trophæis.  
 Hic, seu Caucaseæ fulgentia tergora tigris,  
 Seu pellem panthera dedit, dentesve recurvos  
 Marsus aper, ramis nemori suspende triumpho.  
 Sive jubet Nymphis coreas agitare pudicas,  
 Huc Dryadum festiva cohors, et Oreades una  
 Implicuisse manus cupient; tibi, Cinthia, passim  
 Virgineo molles decerpent pollice thyrsos,  
 Seu juvat hac lauro, seu cingere tempora myrto.  
 Nosque plaga simul tereti, quem gramine damam  
 Compellemus agris, tumulo quem justa feremus  
 Formosi Daphnis, venias manifesta precamur.  
 Hunc tu, Diva, polo superum digneris honore,  
 Munere nec tantum pluvius micet altus Orion.  
 Hanc Erymanthæo, Cinthive cæcumine semper  
 Posthabito, Tenedoque colas, nec silva bipennem  
 Sentiat ista feram, aut ultorem Numinis aprum.

## ECLOGA. NISUS.

Hos Niso, mea Nympha modos concede roganti.  
 Niso silva placet, placeant et carmina silvae.  
 Incipe, sollicitum Nisi cantemus amorem.  
 Dum nemora arboribus rident, dum floribus agri  
 Ille petit silvas, solusque per avia rura  
 Ingeminat questus: Quis te, meus ignis Amynta,

Ah, loca grata nitent? aut quæ via dicit euntem?  
 Huc ades, alme puer, tondent dum prata capellæ,  
 Gramina dum vaccæ carpunt, hædique petulci  
 Subsulant, patiturque novi clementia veris.  
 O, modo jam tecum liceat mulcere canendo  
 Auras, atque unum responset saltus Amyntam.  
 O, tecum liceat Panos de more cicutas  
 Tangere, et imparibus calamis aptare labellum.  
 Linqueret herbosum depascens bucella campum,  
 Arrigeretque ovis aures, et tua carmina circum  
 Attoniti exciperent stantes sua tesqua leones.  
 Linqueret antra lupus, teneroque immixtus ovili  
 Poneret antiquum rabido de corde furorem,  
 Allectus formaque tua, vocisque sonore.  
 Pangere seu nolles, audires dulce canentem  
 Arboribus stratum sublatis Alphesibæum.  
 Huc pecus ille suum conductus saepe sub oras,  
 (Nam procul hinc degit gelida sub rupe Lycæi)  
 Et calamis cera junctis mecum ille revolvit  
 Seu tristes elegos, Teii seu ludicra buxi,  
 Sive suas Daphnæ flamas, sua funera Daphnæ.  
 Namque erat ille tuæ icon perfectissima formæ;  
 Nuncque pari, ah fatum! tecum floresceret ævo:  
 Sic mentum, sic ille oculos, sic ora ferebat.  
 Candidior sed enim pulchroque colore juventa,  
 Lutea seu roseo pinguntur poma rubore,  
 Et crocei nivea ludebant fronte capilli;  
 Tu niger, et nigri resplendent vertice crines,  
 Sole velut blandæ resplendent terga columbae.  
 Tu niger; ast etiam vaccinia nigra leguntur.  
 Tu niger; ast etiam nigri fulgent hyacinthi.  
 Hunc quoque nunc resonat, quamvis ego saepe querelas,  
 Et lacrimas cohibere parem; sed me quoque (verum  
 Si fatear, vero nec tu offendaris Amynta)  
 Ah fatum, infelix urebat me quoque Daphnis;  
 Et me multoties tetigit dolor Alphesibæi.  
 Huc ades o, nam si venias, mea maxima cura,  
 Nec me, nec socium tanget dolor Alphesibæi.

Marcet ager, marcentque relicta fronde capellæ;  
 Atque eadem pecus et pastorem cura peredit.  
 At simul ac solito venias manifestus odore  
 Sponte virebit ager, pinguescent fronde capellæ;  
 Atque erit, et pecori, et pastori summa voluptas.  
 O crudelis amor, repetunt in tecta coloni  
 Te tamen expecto. Fallor, vel colle propinquo  
 Descendit: puer, i, lactis fac Thestilla cymbas,  
 Seu velit illa nigram, aut pictam mulgere juvencam.  
 Preparet hirsutasque nuces, depictaque poma.  
 Obvius ire paro, brevis est via, flumine longe.  
 Duc age, Mopse, gregem. Nox imminet: ite, capellæ.

IN OBITUM FRANCISCI PLATA ADOLESCENTIS  
 SATIS IMMATURUM.

Phœbe Pater, si fata virūm te tristia tangunt;  
 Si qua potest hominum cura movere Deum:  
 Huc age Turutulos (*sic*) elegeia passa capillos,  
 Flebilis incultos gutture solve modos.  
 Hic citharæ sonitus desint, modulamina vocum  
 Non bene convenient luctibus ista meis.  
 Nunc lacrimas siquando pias, nunc fundite planetas  
 Si vos permittit lumina flere dolor.  
 Nunc gemitus, tristes præcordia rumpite questus:  
 Justa magis nunquam causa doloris erit.  
 Quisquis adest, teneris jungat suspiria nostris.  
 Mœror erit socio forte dolente minor.  
 Occidit, ah mortis non exorable ferrum!  
 Pectore quid vetuit figere tela meo?  
 Hei mihi, nec licuit languentia lumina leto  
 Claudere: quid properas, Parca, cruenta necem?  
 Hei mihi, nec licuit spirantis ponere corde  
 Lingua postremos deficiente sonos:  
 Nec lacrimis madidos extremis tergere vultus,  
 Jungere nec tremula pulchra labella manu.  
 Heu miser expectans securum forte periclo;  
 Ferrea me rauca tympaua voce monent.

Candida seu tonitru volitat turbata columba  
 Aere corripiens, sed sine lege viam;  
 Sic ego tristisono turbatus pectora ferro,  
 Præcuro, monstrat qua timor ipse locum.  
 Jamque propinquabam cupidus, timidusque videndi,  
 Auribus en resonat vox inimica meis,  
 Occidit: O quisnam vocem præmissit ad auras,  
 Multa nec extimuit sic dare corda neci?  
 Obscura sub nocte videns ceu forte viator  
 Percussum comitem fulmine sistit iter:  
 Sic ego correptus subita formidine gressum,  
 Subsultant gravigo viscera pulsa metu.  
 Mox ubi verba dolor permissit faucibus arctis  
 Insanus ventis talia verba dedi:  
 Invida, quid prohibet Pylios deducere in annos  
 Stamina formoso, Parca superba, colo?  
 An, juvat halami (*sic*) surgentem caudice florem  
 Scindere? Forma oculis displicet anne tuis?  
 Huic, si certet Hylas, Narcissus, pulcher Adonis,  
 Narcissus cedat, pulcher Adonis, Hylas.  
 Nunc tamen, o Superi! Quæ mentibus hæret imago,  
 Nos fati memores reddere sola valet.  
 Proh! quoties pictæ delusus imagine formæ,  
 Te loquor, et verbis te dare verba puto!  
 Te mihi, heu quoties adstantem somnia fingunt  
 Atque jocis teneros inseruisse jocos!  
 Heu risus quoties oculis, ac cætera nostris  
 Occurrunt, solitis non male picta locis!  
 Tristia quid vero memoro? Mihi maxima quandam  
 Gloria, nunc tantum vel memorata dolor.  
 Sit satis Helyadum plusquam flevisse sorores  
 Non tantum Icarides flevit amara Patrem.  
 Non tamen haec proles meruit Clemeneia luctus,  
 Icari pueri non male sanus amor.  
 Sit, puer alme, satis; gemitus jam fistula rauco  
 Fundit et arenti gutture lingua silet.  
 Nunc ego quam vellem, quos vel niger Indus odores,  
 Vel metit ardenti tramite tostus Arabs!

Vos tandem Manes, cineres salvete sepulti,  
 Vobiscum posthac contumulatus ero.  
 Jam mihi sordet humus, sordent mortalia, tantum  
 Ante oculos perstat mortis imago meos.  
 Nulla videre placet, renovant mihi cuncta dolorem.  
 Auribus ac nostris sic mihi visa loqui:  
 Quid pretiosa soli cupiens, insane, laboras?  
 Omnia morte cadunt: pulvis et umbra placet?  
 Interea dum Chloto meis nova stamina nectit,  
 Et donat tristes posse videre dies:  
 Dum penitus tepida languescunt pectora febri,  
 Aethera, dum dabitur, teque videre, vale.

## IN OBITUM EJUSDEM.

O fatum! Ah! nostræ cecidisti gemma coronæ:  
 Occidit ante suum noster Apollo diem.

## AD JOANN. BERCHMANS ICONEM.

Ecce datur casti juvenis placida ora tueri:  
 Cur tacet? ast quæris. Religione tacet.

## AD B. ALOYSII ET KOSKÆ ICONEM.

Nascitur hic dum Koska jacet; nam fata, diemque  
 Præstítit ignis idem, præstítit annus idem.  
 Nil mirum, Koskam referat Gonzaga secundum:  
 Phœnicis Phœnix nascitur e tumulo.

## NATALIA MUNERA.

Si pronus superum, Terane, donis  
 Exoptas Arabum lenire pulchris  
 Aras, et nitida cremare acerra  
 Flaventes Cilicum, Syrumque rores;  
 Si vis coccineis nitere sertis,  
 Quæ vel Attica docta, vel viretis  
 Optatas apibus dat Hybla flores;

Atque artus nivea micare veste,  
 Ut cæca Ausonidum tulit vetustas:  
 Huc, hue auricomos solute crines  
 Adsis, Phœbe parens, lyramque tantam  
 Fer, Pæan, modulis in astra lucem.  
 Huc tecum, Charites simul novenæ  
 Blandis adveniant modis sorores.  
 Hem! Pæan, fuge, gratiæ novenæ  
 Hinc blandis fugiant modis sorores.  
 Mortis numina, Tenarique nugæ,  
 Mundi spectra furentis et caduci.  
 En Jesus pelagi, polique rector  
 Considet rutilo videndus auro.  
 Huic offer liquidas, Terane, acerras  
 Offer pectoris unicos amores.

## PROLUSIO GRAMMATICA DE SYNTAXI

HABITA AB AUCTORE FRANCISCO XAV. ALEGRE, S. J.  
 MEXICI, ANNO 1750.

Gratias a me repetere juremerito Mexicanæ istius cœli  
 clementissima temperies potest, quæ me non solum mihi  
 met hodierna die vegetiorem vividiorē restituit, ve-  
 rum etiam, hoc frequentissimo Musarum Theatro sapien-  
 tissimorum virorum nobiliumque adolescentium corona  
 circundatum, iterum in Apollinis templo prorsus dissiden-  
 tem collocavit. Altissimum namque Romanæ Eloquentiæ  
 culmen, cuius in clivo Sysiphiū quasi saxum evolvens  
 jamdiu laboraveram, cum ipsa animum difficultate oblecta-  
 ret, meas simul ita vires exhauserat, ut cum tanto oneri  
 substinenti par ultra non essem, ab eloquentiæ studiis ad  
 inania ferme oblectamenta desperantem, non fastidientem  
 animum avocarim. Quo quidem temporis intervallo, diu  
 multumque per medicorum manus jactatus, ea me tamen  
 interdum spe consolabar una, fore ut cœli regione muta-  
 ta quæsitissime, sospitatis inventione gauderem. Verum  
 enimvero, cum de Majorum jussu Mexicanum meditarer, non  
 tantum hæc jamdudum mente präconcepta spes animum

recreabat, quantum quod rursus ad optatissimum Eloquentiæ studium, non tam perficiendi facultate, quam parendi alacritate fretus venirem. Quapropter, ut quod toto istius anni curriculo, magna cum animi mei voluptate sum acturus jam nunc agere incipiam illud primum vobis, Adolescentes optimi, paucis comprehendam, quis verborum delectus habendus sit: ex quo candor ille latini sermonis mirum quam efflorescit ac dignitas: deinde ut vestros animos honestissime latinæ linguae penitus agnoscendæ ardore succendam, paucis item, quantam de Mexicanæ juventutis ingenii animo opinionem conceperim meo, altero orationis capite prælibabo.

Enimvero, religiosissimi AA., cum mihi sese ille divinus Eloquentiæ vultus, decoro prorsus ac matronali ornatu ante oculos proponit, quo aureis illis temporibus a romano populo donata efloruerat, quamvis omnia vehementer admirer; cum sententiarum dispersa lumina, auream elocutionis copiam, argumentorum vires, facetiārum veneres, quibus quasi fabulosa illa Hesiodi Pandora, Deorum omnium decorata muneribus, in Quiritum scenis visebatur; tamen hoc toto jucundissimo conspectu plus se mihi exhibet admirandum, partium omnium nitidissimus cultus, decoraque, atque pro rerum dicendarum genere modulata concinnitas. Quam quia majorum præceptis explicandam aggredior, illud vobis primum spei Adolescentis, prius necesse est adaperiam, unde istius dispositionis, seu græco et communi mavultis nomine σύνταξις, dignitas atque splendor concilietur? Si vos tamen illud ante edocuero, non me solum verborum elegantiam, aut, ut ille inquit, canoras nugas expetere, id enim potuit contendō, ut omnis puritatis amore imbuti, majoribus deinde (quæ ad me non attinēt) præceptis instructi, virilis tandem et plane romanæ orationis fastigium assequamini. Ejus, igitur, majestatis cum plures ab aliis causæ fuerint assignatae, illa mihi potissimum sententia hæret, eam in verborum delectu absolutissime constare. Quapropter illud vobis latinæ linguae candidati persuasum velim hac maxime ab initiis cura, omnem latinæ orationis cultum, olim temporum injuria defædatum, quem-

admodum ab aliis summa cum laude, hac nostra ætate, sic etiam a vobis per consequentes deinde ætates iri restitutum, aut sibi, suæque dignitati, per alios ornatissimos sapientissimosque viros jam redditum, hac cura, ac diligentia ne rursus eadem dehonestetur barbarie facile conservandum. Cæteros enim eloquentiæ ornatus, sæpe vel temporum motus labefactat, vel oratorum ingenia permuntant, nec tamen ideo sua præcipua munia atque vigorem deperdit oratio. Defuerit sane Marc. Tullio facetiārum lepor, ut aliqui criminantur; an non semper erit admirabilis beata illa sententiarum ac verborum volubilitas, qua veluti aurea Mercurii catena, auditorum animos adstringit? Defuerit suavitas Senecæ, cuius ut aliqui putant, quasi per abrupta et confraga raptatur oratio; an nou semper apud eruditos in pretio erit largus ille ingenii fluvius et argutissima elocutio? Defuerit ubertas Frontoni, cuius prorsus ingeniosa jejunitas ansam aliquibus tribuit maledicendi; an non ideo fortissimi argumentorum nervi, et adhuc ipsa efficax acrimonia semper laudabuntur? Defuerit moderatio Simmacho, cuius amœnissima semper oratio, quasi rivulus inter flores luxurians, plus, ut inquiunt, Sybaritam sapit quam Romanam; an non ideo illius suavitas atque ad aures Principum aptata mollities aestimabitur? Denique defuerint Oratori partes aliquæ, verbosa sit oratio aut sterilis, interrepta aut volubilis virili sententiarum succo, aut solo argutiarum flore comperta, vitia sunt hæc temporum. Fateor; at multis summis viris ita adhuc ex antiquis scribere placuit et in præsentem hueusque diem, eorum in eo dicendi genere alumnos, defensoresque conspicimus. Etsi autem varia inter se dicendi ratione pro suo quisque ingenio decertarunt, ea tamen omnibus una mens fuit, ut purissimus latinæ linguae candor servaretur, nihili ingenii flumen et saluberrimos sententiarum latices (ut lyrici vatis similitudine eloquar) aestimantes, si eos peregrinorum verborum involutos cœno profunderent. Ad hæc reliqua orationis ornamenta varia ingeniorum omni tempore efflorentium indole facile possunt, ad pristinum splendorem revocari. Emituit quidem ante Tullium priscos inter Quirites, asperius illud

et strigosum dicendi genus, in quo seniorem illum Catonem principem scimus effloruisse. Accessit deinde aurea illa reipublicæ et eloquentiæ lux, Tullius inquam, cuius splendidissimus ille stylus, et plane asiaticus, antiquorum omnium latinorum extinxit lumina, sed nec ipse diu stetit. Neronis namque imperio pressus et laconicus ita signit, ut effussam illam et cothurnatam Ciceronis pompam obscuraret, quam suorum temporum injuriam juremerito deplorat Quintilianus, in eoque genere principem Lucium Senecam fuisse cognovimus. Quid plura? sub Vespasiano et reliquis omnis Græculorum præceptorum luxu deturpatum, nimium molle et gracile sub Theodosio fuisse conspicimus, donec tandem eruditissimorum virorum studio ac diligentia virile illud robur Ciceronianæ facundiæ orationi rursus accessit, rursus argutus Senecæ stylus apud aliquos præstantes viros efflорuit. Denique nihil ita oblivionis tenebris consupatum, ut ab posterorum ingeniis non iterum in lucem possit proferri. Nec enim omni tempore iidem sunt hominum mores, cui sese debet oratio adaptare. Hic autem latinitatis candor, tot jam peregrinorum verborum alluvione pæne submersus, cum non ab hominum ingeniis possit effungi, eumque ab antiquorum fontibus necesse sit derivare qui quotidie turbidiores ad nos promanant, quam maxime debet providere, ne ita prærancidis fœdissimarum vocum sordibus inhærescant, ut nulla iterum lima possit expurgari.

At quoniam duobus maxime adversariis hæc latinæ orationis puritas solet labefactari, vel enim nimio antiquitatis amore, squalidis ac longo veterno inquinatis vocibus sordescit oratio vel recentibus verbis excussis aut peregrinis aliquibus, nescio quo jure Civitate donatis, intemeratus latinæ linguae pudor quam fœdissime deturpatur, pauca de utroque levi brachio perstringam, si vos, religiosissimi AA., Mexicanique juvenes, ea qua hucusque benignitate me pergatis attendere. De prioris autem turpitudine vos metipsos testes appello, ne me ac vos dicendo defatigem. Cujus enim vestrum subactissimum judicium atque non nisi ad florentissimorum oratorum voces aptatae atque

assuetæ aures turchinabundos (*sic*) illos aut bovinatores non perhorrescant atque e ponte detrudant? Atqui earum vocum antiquior Cato Luciliusque feruntur auctores. Valeant cum suis cadaverosis nominibus et hirsuta eloquentia auctores ii atque ut ille inquit Evandro et Numa apud Plutonem colloquantur. More foliorum, ait Horatius, verba permutantur; nec tanto apud in pretio antiquitas esse debet, ut olidissima quæque et putrida, quæ jam posterorum hominum ac disertissimorum opinione absolverint in usum revocare velimus. Quamvis nec ea quidem omnino verba velim improbari, ut enim romanæ eloquentie, non minus quam reipublicæ princeps M. Tullius scripsit, suoque non uno in loco confirmavit exemplo, ex suavioribus aliqua oratione dispersa, nescio quid dignitatis atque amplitudinis elocutioni conferunt e sacratissimo alias vetustatis sinu deprompta. Verum utinam, utinam Auditores benevoli, hoc tantummodo sese telo percussam lugeret Eloquentia. Duriusculæ quidem, ut Tullius inquit, illæ voces, et quasi monumentorum cineribus squalentes, at sane suas antiqua Roma, quamquam invita et verecunda cognosceret, et usu denique emolliita durities minus forte aures offenderet aliquando. Aliud est tamen, quod altius penetravit, quoque jucundissimus ille romanæ orationis decor, ita emareuit, ut si quando in scenam altiori innixa cothurno, tanquam opum fortunarumque suarum maxime gloriabunda se dare velit a frequentissimo eruditorum cœtu non plausa secundaque admurmuratione excipiatur; sed plenis commiseratione verbis deploretur. Loquor de innumeris vocibus quæ nescio qui in Latias tabulas irrepserint, nuncque perfricatissima fronte in theatrum audent procedere, quas equidem etsi personato prodeentes vultu facile sibilis explodunt sapientes viri; propterea quod non illam latini sermonis ad omnem majestatem compositam personam, sed inanem quandam latinitatis larvam, facientemque mimos sibi videre videantur. Loquor de nescio quo, Oratorumne dicam, aut impudentissimorum græculorum genere, qui tum se auream Ciceronis eloquentiam cogitant assequitos, cum magnam græcolatinorum, aut omnino græcorum nominum conge-

riem ore profuderint, eo se cultiores in dicendo existimantes, quo magis græcam atque latinam, sapientissimas linguas et scientiarum omnium thesauros purissimos, ineptissima mixtura corrumpant, suam utriusque inscitiam palam profitentes. Evidem quod iniqua temporum conditione in theatris evenire novimus, ut qui in eis spectantur actores tanquam domi coragium satis instructum non haberent peregrina quæque adsciscant ornamenta, ut nulla re minus hispanum cognoscas, quam veste ornatunque corporis; sic etiam traducta ad sermonem pessime consuetudine, ita peregrinis barbarisque vocabulis orationem convectiunt, ut Geticam vel aliam quamlibet potius quam Latinam intelligas. At scio (quod in me aliquis jamdudum posset objicere), scio, inquam, ad nova verba cedula, aut ex aliis linguis transferenda, licentiam a doctissimis viris concedi. Scio Ciceronem, Quintilianum, Senecam, Horatium, omnis eloquentiæ magistros, et eam libenter præbuisse, et ea multis in rebus usos fuisse. Scio facultates multas propria desumpsisse sibi ex græcis nomina, inter quas Sacra Theologia ad divina arcana depromenda, plus quam omnes ab illis fontibus diduxit. Nova sunt sane permulta, et latinis sermonis artificibus ignota perquam; propterea quod, aut omnino recens inventa sunt, aut si quæ eorum semina antiquitus extiterunt, tanquam insitione quadam, novarum accesione rerum, in aliam prorsus speciem formamque mutata sunt. His quidem dicendis, explicandisque, nova fingendi verba veniam qui neget, nemo erit prudens. Quapropter Horatius ille, etsi alias nasutus latinorum criticus, si forte necesse est, inquit

Indiciis monstrare recentibus abdita rerum;  
Fingere cinctutis non exaudita Cethegis  
Continget; dabiturque licentia sumpta pudenter.

Quod etiam de iis nominibus intelligendum duco, quorum jam in rebus sacris usus invaluit. Hoc enim meritissimo tribuendum est illarum facultatum nobilitati, et præcipue Sacrae Theologiæ, ubi aut Sanctorum Patrum, aut doctissimorum virorum verbis discedere religio est. Placet porro hac super re sanctissimi facundissimique viri judicium in me-

dium vobis auditores proferre. Edmundus ille Campianus (video vos ad spem tanti nominis aures atque animum arrexisse), ille igitur vir romanæ linguæ peritissimus si quis alius, Tullioque adictissimus, de his nominibus disputans, quæ in rebus sacris usurpamus, nempe, inquit, apud Ciceronem *perpessio*, non *passio* invenitur: num propterea christiani non audebimus Christi passionem totidem litteris ac syllabis enuntiare? Per me quidem potius in Tiberim omnia Ciceronis opera projiciantur, quam hujus unius dictiunculæ jactura fiat. Quare? sic enim increbuit jam significatio rei sanctissimæ et maximæ, ut non sit tutum abolere. Deinde, cum alias subjecisset voces, ut pœnitentia, sacramentum, Novum Vetusque Testamentum eo intellectu, quo a nobis accipiuntur, quid ergo, ait, nomen antiquabimus? Consensio fidelium, et verbi religio vetat. Hæc magnus Campianus, non eruditio minus quam pietate mirabilis, quæ quidem juremerito constituuntur. Quid autem est cur vulgarissimis quibusque rebus explicandis, ad Athenas homines isti confugiant, et cum latina suppetant verba, integrissimam utriusque linguæ corrumpant castimoniam? Quam non vident pessimæ istius libertatis auctores eisdem veniae armis quibus se satis tutos atque defensos arbitrantur, eisdem vehementius inulto impeti ac jugulari? Quid enim jure sibi deposcerent, quod Campianus noster non concedat? At hic ipse christianæ libertatis Brutus quam merito inter ipsos romanorum Reges statua donaretur? Qui in ipsis de christianis rebus orationibus, in quibus persæpe horum verborum usus est ita caste integreque, et plane ad Augusti aures eloquitur, ut aucta ab ipso Roma, sibique restituta videatur. Quapropter injustus certe ille habendus est, qui cujus venia utitur, ejusdem exempla non imitetur. Procul, procul igitur a vobis sit. Adolescentes optimi, pernicies illa, quæ per speciem tuendæ libertatis omni Latinorum nationi imminet; quin potius præclarissimi hujus viri exemplo, insolens et infrequens verbum, quod Cæsar ille, non minus litterarum quam armorum gloria apud posteros immortales ajebat, tanquam scopulum refugiendum existimare. Habetis eximium latini sermonis spe-

culum M. Tullium, eujus ea fuit hac in re moderatio, ut cum plura posset nomina (quae ipsius erat in romanam linguam auctoritas) civitate donare, erat tamen, inquit A. Gellius, verborum diligentissimus, quamvis nec ita quidem effugere potuit quin ab aliquibus importuna sane calumnia, nimis in novis verbis cundendis, aut e Græcia transferendis liber haberetur.

Quapropter in illud totis animis incubite, Mexicani juvenes, ut romanæ eloquentiæ nitor his duobus præcipue telis in presentia confossus per vos aliquando valeat recreari. Jamdiu enim Urbs hæc magnis gloriæ stimulis lacessita, in summum eloquentiæ culmen suos adolescentes conatur adducere. Vos, Americæ spes, vestraque florentissima ingenii indoles, etiam me tacente adhortantur, in hac quoque non ignobili arte sicut et in aliis Mexicanæ Regni nomen extollatis. Neque minus vos movere debet præclarissimorum, doctissimorumque hominum consensu probata opinio, apud quos jamdiu sic invaluit: ingenio præstantes adolescentes, et ad maxima quæque litterarum studia miri habiles, quod his latinitatis studiis minus instructi sint, saepe in cursu desistere, et jam prope metam, non sane in tempore, quid sibi desit intelligentes desperata palma perveniendi spem omnem amittere. Quod sane tanto ægrius ferunt, quanto ætate jam adulti severioribusque disciplinis idonei, sermonis architectis iterum se committere, rursusque palestram repetere, ignominiae larva territi gravius reformidant. Huic igitur malo, nunc cum per ætatem licet, obviam eundum vobis est præsentissimo remedio: præser-tim cum id ætatis quæ vestra propria laus est prematu-  
rescente ingenio, atque ad hæc studia suscipienda alaci, expeditoque, annos ipsos antevertere videamini. Quoque hoc libentius faciatis, cæterarum nationum in his colendis litteris studia et conatus vobis ante oculos proponite. Aspi-cite Italiam, quæ post Augustæum illud aurumque sœcu-lum, cum omni pæne luxu et barbarie suæ eloquentiæ vul-tum defedatum agnosceret, ita laboravit, ut Leonis X et Urbani VIII temporibus, ad pristinam ferme dignitatem honoremque restituerit. Galliam attendite, quæ antehac re-

omnino ignobilis, critici alicujus jaculis appetita, ita se ut ille ait, ab humo tollere connixa est, ut a Magni Ludovici tempore usque in præsentem diem, magna ex his studiis collecta laude efflorescat. Hispaniam denique contemplamini, quæ ab antiquis romanis non uno in loco sugillata, magnis postea viris omni litterarum genere claruit, nuncque hoc eloquentiæ et latini sermonis cultu, doctissimorum virorum perstricta acculeis ita viget, ut vel ipsi Italiae palmam e manibus arripere contendat. Ergo, qui scientiarum omnium properatis ad metam, nolite his florentissimis omnium disciplinis, ita animum despondere, ut hanc vestro nomini, vestrae nobilitati, vestrae denique patriæ æternam maculam inuratis. Et de vobis quidem ita mihi semper promissi; de me autem illud unum, nullum tam arduum fore laborem, curam nullam, nullum studium, quod pro vestri amore et charitate me non pollicear libertissime suscepturum. Dixi.